Kriegy

Opuscula in his miscellaneis sub Wro contenta sunt 33.

1. Oratio de coronatione B.V.M. in claro monte dedicata Christoph. Szembek Eppo Chelm. sine L.
2. Immaculatum Virginis Deiparæ lilietum, a Joa. Bapt. Agnensi et Stan. Jos. Bieżanowski utroque oculis seu visu orbato elaboratum et dispositum. Crac. 1675
3. Inaccessa Sanctissimæ Virginis Montana per Thom. Gromnicki ex voto. Oratio. Crac. 1667.
4. Majestas sacræ claromontanæ Imaginis per Dionys. Chełstowski O.S.Paul. Claromonti 1717. Orat.
5. Oraculum parthenium Virg. Deiparæ honori a Jo. Bapt. Agnensi et Stan. Jos. Bieżanowski Crac. 1668. simil. n. 2.
6. Sacratissima Virginis Dei Matris Reg. Pol. Majestas a Seb. Piskorski versib. dam. Crac.
7 Theatrum Marianum.. in nemore Lezaysensi a Joan. Bytomski productum Crac. 1642.

8. Kazanie przy uroczystym solenn. Dziękczynieniu za Dekret Kanoniz. Bl. Stan. Kostki przez Stefana Brzanieckiego S.J. r. 1715. 3. Lut. miane. Kalisz.
9. Kazanie Jana Chryz. Benedykta Gninskiego na Ur. B. Stan. Kostk. 1657 miane. w Krak.
10 Korona z pochwał SS dwóch uwita per X. Ant. Lipiewicza O.M. Krak. 1748. S. Jan Nep. i Ant. Padew.
11 Laska i pieczęć nadworna Niebieska czyli Kazanie na S. Jan. Krzciciel. i Jan. Nep. per X. Fortunata Łosiewskiego+ w Krak. 1732. + Franciszkana.
12 Malogranat albo Kazanie przy exekwiach Panny Xiężn. Ostrogskiey per Woyc. Czarnock. S.J. Krak 1636
13 Promocya Kanonizacyi S. Jana Kant. czyli Kazanie per X. Fortun. Łosiewsk. Krak. 1732
14. Syn przyrastaiący S. Józef. czyli nań Kazanie per X. Marcelli Dziewulsk. Franc. Krak. 1725.

15 Acumen Dolorum ex obitu Stan. Szembek. Eppi Crac. per Mathæum Jos. Kolędowicz Crac. 1721.
16 Ad mentem Patriæ caput. Stan. Leszczynski in fastos gloriæ relatum a Coll. Posn. S.J. relat. Posn. 1699.
17 Clavis aurea fracta seu in obit. Melch. Michałowski, Joan. Stan. Dzidowski poesis Crac. 1687
18 Classica mortis feralia Jos. Greg. Popiołek ab academ. excitata. Crac. 1758.
19 Dissertationes sup. rubricas de sepulturis et sumptib. funer. per Andr. Lipiewicz propos. Crac. 1751.
20 Dolorum oneraria navis in funere Stan. Luc. Opaleński per Seb. Tortowski Crac. 1712. orat.
21 Dolor Patriæ æternus in funere Constantini Feliciani Szaniawski Eppi Crac. a Congr. S.P. Crac. 1732. elogia.
Encomium ad solemnes exequias }
In obitum Seren^mi Principis } deficiunt.
Jactura orbis Literarii transmissa }
22 Xiężyc JW Zaćmiony w Jakubie Morsztynie adumbrowany od Koll. Krak. S.J. 1729. Xsiężyc
23 Fatalis lunæ pallor ad urnam Jac. Morsztyn a Coll. S.J. Crac. 1729 adumbratus Orat. et Carmen.
24. Memoria Sæculorum in obitu Aug. II per Ign. Cant. Herka. 1734. panegyris
25 Monumentum doloris Mariæ Josephæ Reg. Pol. in obitu Versus lat. et pol. per Stan. Rzewuski Crac. 1758.
26 Medela doloris in obitu Franc. Ant. Stokowski porrecta per Joan. Byszkowski Crac. 1672 Orat.
27 Monumentum aurea perennii exaxictum in ob. Alb. Koryciński Arch. Epp. Leop. per St. Jos. Bieżanowski Crac. 1677. orat.
28 Munus et dolor Sæculorum Stan. Dębski Eppi Crac. comploratus a Collegiis S.J. Crac. 1700.
29. Parasceve in obitu Joann. Lukini per Ant. Jos. Zołędziowski descripta Crac. 1750. Poesis.
30 Splendor Korybuthei Syderis in funere Mich. Reg. Pol. a Mathia Brocki carmine Consecratus Crac. 1676.
31 Tropheum z pańskiego urodzenia, na pogrzebie Stan. Chomętowsk. per X. Brun. Osieck. Z.S.P. Częst. 1729. Kazanie
32 Tropheum ex immatura morte Helenæ Opalinia in Eccl. Rythw. a Carolo Trewani paneg. consecr. Crac. 1676.
33 Viva mors seu morti superstes virtus et Gloria in exequiis Georg. Duc. a Zbaraż a Nic. Grodzieński Crac. 1631. elogia.

Authores in his Miscellaneis præter Anonymum sunt 24.

Anonymus 1, 16, 18. 21. 22 23. 28.
Agnensis Joan. Bapt. 2, 5.
Bieżanowski Stan. Jos. 2, 5, 27.
Brocki Mathias 30.
Byszkowski Joann. 26.
Bytomski Joann. 7.
Chełstowski Dyonysius O.S.Paul. 4.
Czarnocki Woyciech S.J. 12.
Dzidowski Joan. Stan. 17
Dziewulski X. Marcell. Z.S.Fr. 14.

Gninski Jan Chryz. Benedykt 9.
Grodzieński Nicol. 33.
Herka Ignat. Cant. 24.
Kolędowicz Mathias Jos. 15
Lipiewicz Andreas 19.
" X. Antoni O.M. 10
Łosiewicz X. Fortunat Z.S.Fr. 11. 13.
Osiecki X. Bruno Z.S.Paweł 31
Piskorski Sebastianus 6
Gromnicki Thomas - - - 3.
Rzewuski Stanislaus 25.
Brzaniecki Stefan S.J. 8.

Tortowski Sebastianus 20
Trewani Carolus 32
Zołędziowski Ant. Jos. 29.

DISSERTATIONES
ſuper Rubricas
de Sepulturis & Sumptibus Funerum,
ex Lib: 3. Decretal: tit: 28. & Lib: 3. ff. tit. ult: deſumptas,
univerſali Legi *ad Hebr. 4.* contentæ, conformatas,
ſeptima die ab obitu
Perilluſtris olim & Reverendiſſimi Domini,

M. ADALBERTI MICINSKI,

Utriusq; Juris Doctoris & Profeſſoris, Collegii Juridici Senioris Patris, Eccleſiarum, Cathedralis Cracovienſis Canonici, Collegiatæ SS. OO. Cracoviæ Cuſtodis, Parochialis in Koniusza, Præpoſiti, Contubernii Jurisperitorum & Philoſophorum Proviſoris,

ferendis ſuffragiis Animæ Ejus deſtinata,
in Eccleſia Collegiata SS. OO. Cracoviæ
per

M. ANDREAM LIPIEWICZ,

Philoſophiæ Doctorem & Profeſſorem, Collegam Minorem, Geometram Juratum, Eccleſiarum Collegiatæ SS. OO. Crac: Canonicum, Parochialis in Palczowice Curatũ, SS. Philippi & Jacobi Apoſtolorum Clepardiæ ad Cracoviam Præbendarium, Gavarſcianum in Eccleſia Cathedrali Cracovienſi Concionatorem, Contubernii Jurisperitorum Seniorem,

omnibus bene mori diſcere cupientibus
informationis gratiâ

PROPOSITÆ.

Annô Domini 1751. Die 7. Maii.

CRACOVIÆ TYPIS UNIVERSITATIS.

Author Operis

Mœstiſſimis ultimæ Voluntatis Reverendiſſimi olim Teſtatoris

Executoribus,

Perilluſtribus & Admodùm Reverendis Dominis,

M. CASIMIRO JARMUNDOWICZ,

Utriusq; Juris DOCTORI & PROFESSORI, Ejusdemq; Facultatis PROCANCELLARIO ac DECANO, Eccleſiarum, Collegiatæ SS. Omnium Cracoviæ PRIMICERIO, Ilcuſſiensîs DECANO, Feſtorum Salvatoris & Beatiſſimæ Virginis MARIÆ in Eccleſia Cathedrali Crac: Ordinario CONCIONATORI,

IOANNI SKINDEROWICZ,

Eccleſiarum, Collegiatæ SS. OO. Cracoviæ CANONICO, Parochialium Zathorienſis & Spytkovienſis PRÆPOSITO,

in conſolationem

ſcribit & dedicat

MOrs (Testatoris) remedium est non pœna: non enim peremptoria est, per quam non adimitur vita, sed ad meliora transfertur. S. Ambr: lib: 2. de Cain & Abel.

Non illos amisimus, sed præmisimus, qui ex hac vita recesserunt. S. Aug: ep: 6. ad Italicam Viduam.

Malè mori Christianorum non est, bene autem mori cum Christo vivere est. Idem de Vit: Christi. cap: 5.

Animæ perfectorum statim post mortem evolant ad Cœlum. S. Bonaven: ser: de Animab:

Anima quæ in sua erga Deum charitate horâ mortis exulat, cum Angelis pacis sublimiùs fertur, veluti pennata spirituali charitate. Diadochus Photices Episcopus de perfect: spirit: cap: 100.

Quàm beate moritur, qui moriendo oritur! quàm feliciter vitam temporalem finit, qui vivere perpetualiter incipit. Petr: Damian: ser: 17. de S. Vitale Martyre.

Felices obeunt quorum sinè crimine vita est. Cato Pòëta lib. 4. distich: Metr: 93.

Non miserabiliter Vir clarus emoritur. Cicer lib 1 Tuscul. Quæst.

Cùm supremus ille dies mortis non extinctionem sed commutationem affert, loci, quid illô, optabiliùs. Idem ibidem.

Magni Viri mortalitas magìs finita, quàm vita est, vivit enim vivetq; semper. Plato.

Erras! non perdidit lucem Frater tuus, sed securiorem sortitus est, non reliquit ille nos sed antecessit. Senec: de consolat: ad Polyb: cap: 28.

Ante senectutem curavit, ut bene viveret; in senectute ut bene moriatur. Idem ep. 49.

Quid tibi novum est mori? hoc Patri tuo accidit, hoc Matri, hoc Majoribus, hoc omnibus ante Te. Idem ep. 77.

Vetustas hunc morem judicavit honestum esse, ut mortui laudarentur, Thucid. lib: 2.

Mortuorum laudi nemo invidet. Idem ibidem.

Viventes invidia exercet, mortuis autem benevolentia sinè obtrectatione præstatur. Idem ibidem.

Quæstio est appetitio cognitionis, quæstionisq́; finis est ipsa cognitio.

Oldradus.

Præcepit eis dicens: Sic agetis in timore Domini fideliter, omnem caussam quæ venerit ad vos, ubicunquè quæstio est de Lege, de Mandato, de Ceremoniis, de Justificationibus, ostendite eis, ut non peccent in Dominum. *2. Paralip. 19.*

DISSERTATIO I.

U. necessarium & utile sit mortalibus discere & scire legem mortis?

Quæstio hæc Oedipô non eget, ut ad eam respondeat:
ubi enim non sunt nodi Gordii,
ibi non est opus Macedone;
pariter nec Oedipô, ubi nullum superest ænigma.
Quis ignorat?
unum quemq; mortalium sciendi desideriô angi,
quem sibi, quem aliis finem Dii dederint,
ocyusve seriùs an metam properare ad unam
legeq; mortalitatis solvi disponant.
Quæ quidem dispositio quantò est occultior,
tantò majorem indaginem poscit;
ut vel ex consilio Senecæ:
totâ vitâ discendum sit mori.
Ut potè:
- - - Omnes una manet nox,
Et calcanda semel via lethi,
Mista senum ac juvenum deflentur funera, nullum
sæva caput Proserpina fugit.
Si igitur mors labyrinthus est decedentium:
studendum, ne hæreamus.
Si iter ad Patriam:
studendum, ne in itinere decidamus.
Si speculum vitæ melioris:
studendum, ut in speculo vitæ maculas emundemus.
Si beatitudinis portus:
studendum, ut portum pertingamus.

Parum quippe est, nosse generationis principia,
nisì simul principia corruptionis noscantur.
Parum Oratoribus de vitæ exordio discurrere,
nisì discurrant de epilogo.
Parum Astrologis meditari Siderum ortum,
nisì meditentur & occasum.
Parum Legistis de Regulis Juris disserere,
nisì in dissertationis materiam abeat, communis illa regula:
cui contingit nasci restat mori.
Habent equidem mortuorum ora voces suas,
quibûs instruimur mortales;
habent suos ossa arida spiritus
quibûs informamur;
nec magìs Minerva quàm Libitina
est Dea sapientiæ,
illa per præcepta Ethyca docet bene vivere,
ista bene mori.
Amara namq; mortis recordatio, dum sensus subintrat,
erigit spiritum ad Cælestia, & disponit ad æterna:
nec fortius datur argumentum
motûs Physici de esse ad non esse,
quàm quod ex loculis seu domiciliis mortuorum eruitur.
Omnium igitur mortalium interest,
circa finem universæ carnis versari,
& frequentatis decedentiũ mortibus memoriã imbui;
comprobante *canone. Idcirco. de Pœnitentia. dist. 7.*
mortis cogitationem ita utilem esse, quàm periculosum non cogitare.
se esse moriturum.
Nimirum:
esse Viatorem, & terminum itineris attingere nolle;
esse hospitẽ, & de diversorio carnis egredi non sperare;
esse vas corruptibile, & de sui corruptione meminisse abnuere;
ita à ratione alienum existere,
quàm est consonum naturæ:

Soles

Soles oriri & occidere, Maximos minorari,
Phœnices virorum mortis laqueîs capi,
terram animatam in pulverem reverti;
annosq; Nestoreos diem in ultimum desinere.
Utinam & Vos saperetis ad intelligentiam
Mœstissimi Actûs hodierni Spectatores,
ac exemplum Clarissimi nuper in Utroq; Jure Doctoris
Perillustris & Admodùm Reverendi Domini,

M. ADALBERTI MICINSKI,

U. J. D & Professoris, Collegii Juridici Senioris Patris,
Ecclesiarum Cathedralis Crac: Canonici, Collegiatæ
SS. OO. Crac: Custodis Parochialis in Konjusza
Præpositi, Contubernii Jurisperitorum & Philosophorum Provisoris, imitati,
eam, quam ille crebriùs mente recogitabat,
condisceretis legem mortis.
Legit ille universale à Doctore Gentiũ ad *Heb: 4.* allegatum statutũ:
Statutum est hominibus semel mori;
& judicavit se mortalem,
annos æternitatis semper in mente habuit,
scivitq; perbelle primum ad vitam accessum,
sufficientem esse ad mortem gradum;
nec priùs sese ad lucem quàm ad luctum,
ad intuitum quàm ad planctum aperuisse oculos.
Resolvit *Glossam in Authentica de Hared: & falcidia. § His omnibus.*
mortem terminum & finem omnibus assignantem:
& vixit tanquam hodie moriturus;
cùm instructus esset in Schola mundi,
mortales miseros esse quia ad omnẽ casum nascuntur,
miseriores, quia ad vitia proclives,
miserrimos, quia continui sunt ad mortem peregrini,
quare agnovit cum Diogene:
undiq; eandem esse viam ad sepulchrũm.
Sciscitatus est ex *Gloss. Angustiatur. in Authent: de Triente & semisse in § Coll 4.*

 mor-

mortem hominum inopinatè venire,
ideoq; semper & ubiq; timendam;
& vigilavit in horas anxius, ne morte præoccuparetur.
Et quia hominem scivit esse animal,
scivit se etiam mortis prædam certissimam esse:
ut potè, cùm uno eodemq; ubere vitam & mortē suxit.
Didicit ex *gloss: v Commutatio. in Princip. Institut. de Cap. diminut.*
mortem non aliter quàm Dei dispositione advenire:
& expectavit eam usq; ad sexagesimum ætatis suæ annum,
Annìs viginti sex quibûs Jura docuit,
de egressu spiritûs sui sollicitus,
crebrò se ipsum commonuit:
ea conditione Mundum intràsse,
ut exiret;
ea lege spiritum accepisse,
ut eum redderet;
eô motivô vitæ peregrinationem inchoâsse,
ut eam perficeret;
eô votô Professionem Juridicam suscepisse,
ut inter alias Juris Utriusq; Rubricas,
Rubricam de sepulturis recolligeret,
Quare præmissîs operibûs misericordiæ,
confectîs ultimîs tabulîs & funeris sui dispositione,
Legem omnium unam adimplevit.
naturæq; debitu persolvit. *extravag. detestandæ. De sepul. in t. Comm.*
ipsîs Calendîs Maji,
fructum virtutum ac meritorum suorum.
cum flore æternitatis conjunxit;
Ut qui in fide S. Matris Ecclesiæ & Christi Nominis Confessione
perseveravit usq; ad finem, *c. Apostolicam. de Presbyt: non bapt.*
acciperet coronam immarcescibilem vitæ æternæ.

DISSER-

DISSERTATIO II.

U. Sapientum Virorum gloria unà cum corpori bus tegatur sepulchrô?

Nihil habet commune
palma gloriæ cum ferali cupresso,
ideoq; pares cum ipsa non fert vicissitudines.
Non roditur à vermibus, ùt illa;
non contabescit carie, ùt illa;
non subest ictibus securis mortis, ùt illa.
Enimverò
crescit inter acervatas ossium strues,
vernat inter ferales cineres,
& in tumulis vivit post fata superstes.
Ita est:
Phænicibus Viris non obsunt funera,
de bustis suis etiam evolant,
& vivunt in æternum.
Esto
quòd urnæ magnos capiant Macedonas & Leonidas claudant,
celebre tamen eorum præconium & laudum frequentata fama
quæ ex magnis eorum gestis resultat,
sicut immortalis est & mori nescia;
ita non capitur laqueîs mortis,
non concluditur tumulîs,
non carceratur monumentîs,
non arctatur feretrîs,
ut potè, quæ naturam immortalis spiritûs sortita,
Omne quod mortale est transcendit & non corrumpitur.
Argumentum dictorum est
Gloss: fin: l fin: ff. de his qui notantur infamiâ:
mortuos per gloriam vivere intelligi,

 & alia

& alia. †. per gloriam §. Hi enim. Instit; de excus: Tut:
mortui intelliguntur per gloriam vivere,
ſicut è contra, qui vivunt per vituperium
finguntur eſſe mortui.
Si tandem ſequi placet ſenſum Sixti Phiſophi,
dicit ille *Sentent: 46.*
Sapientis viventis quidem magna eſt apud homines opinio,
defuncti verò gloria major prædicatur:
ut potè quæ Solem imitatur,
qui in occaſu grandior apparet.
Abſit igitur,
ut Magni nuper Jure-Conſultorum Anteſignani
& Senioris Patris,
Perilluſtris & Reverendiſſimi Domini,
M. ADALBERTI MICINSKI,
Utriusq; Juris DOCTORIS & PROFESSORIS,
CANONICI Cathedralis Cracovienſis,
mortuam eſſe gloriam & ipſi conſepultam credamus.
Vivit hæc in operibus, vivit in laboribus Ejus & meritis,
atteſtante Venuſino Vate:
Dignum laude Virum, Muſa vetat mori.
Quomodo enim obliterari, aut perire poterit Nomen
A D A L B E R T I,
quem poſthumis commendant ſæculis
altitudo ſapientiæ ſinè elatione,
Legum Divinarum & humanarum peritia
ſinè jactantia,
Proceſsûs totius Juris doctrina ſinè arrogantia,
promerita in Eccleſia & Academia dignitas ſinè faſtu,
quem publicà rectefactorum evulgat fama,
quem perennaturæ memoriæ gratiâ
faſtîs ſuîs inſcripſit Univerſitas.
Virum hunc,
qui cùm diſceret Sapientiam, docuit Sanctimoniam;
ſemper

ſemper didicit, quod doceret; ſemper docuit, quæ didicerat,
Ut Oceanus hauſit flumina, & emiſit;
ùt ſpeculum accepit lucem, & refudit;
qui nihil ignoravit niſi ſuam magnitudinem;
qui cùm ab omnibus ſuſpiceretur, unus ſeipſum deſpiciebat,
diſertiſſimus cùm taceret, eloquentiſſimus cùm ageret,
patientiſſimus, Orbi cùm lateret.

Virum hunc!

qui laboribûs ſuìs quietem peperit Academicis,
qui dum ſe conſumeret alios roborabat,
dum alios illuſtraret ſeipſum conſumebat.
Docuerat ille ex *Can. Inter verba. 11. 9. 3.*
licitum eſſe gloriam & laudem hominum deſiderare & eâ frui,
& conſecutus eſt gloriæ ſuæ fructum.
Extollit eum laudibûs Univerſitas,
ùt vigilantiſſimum, & pro Juribus Ejus zelantiſſimum toties

RECTOREM,

Collegium Juridicum

ùt Patrem Seniorem & Mecænatem,

Eccleſia Collegiata Sanctorum Omnium Cracoviæ
ùt Cuſtodem ſuum Digniſſimum,
Clerus Diecæſanus ùt Ordinarium Examinatorem,
Studentium Cohors ùt gratioſiſſimum inantè
Contubernii Hieroſolymitani & Regio-Jagelloniani

SENIOREM.

Nunc

ùt Contubernii Juriſperitorum & Philoſophorum

PROVISOREM.

Quare

vivit ſuo etiam ſuperſtes funeri,
& poſtquam ſe terris in noſtra ſequentium documenta
ſatìs commodavit,
meritìs quàm annîs gravior
debitæ ſe reſtituit æternitati.

DISSERTATIO III.

U. Planctus circa sepulturas mortuorum practicari soliti sint omnino permittendi?

Mortuos lugere,
pietatis affectu & humanitatis officiô permissum:
can: ubicunq; 13. 9. 2.
En Sydus primæ magnitudinis
Orbîs Academici extinctum est!
ullum gaudii sensum animô percipere piaculum.
En occidit delicium nostum!
& possunt ne oculi sivè ullo doloris imbre,
tam funestum spectaculum, tam calimitosam jacturam intueri?
Apud Ægyptios cum interierant Viri magni,
nudatis pectoribûs Viri acerbissimè plangebant,
nudatis mamillis mulieres crebrîs singultibûs ululabant,
omnes lutô caput & cineribûs deturpabant.
Et Nos Academici,
Virum Patriæ, animorum Principem,
Utriusq; Juris Doctorem
Perillustrem olim & Reverendissimum Dominum
M. ADALBERTUM MICINSKI,
Canonicum Cathedralem Cracoviensem &c.
heu jacentem! heu extinctum!
sinè lacrymis & siccis oculis aspiciemus?
Non, non usq; adeò obduruimus,
ut ad casum Patris omnium charissimi exsiccaremur.
Non, non usq; adeò humanitatis sensum amisimus,
ut ad obitum tanti Viri de Republica literaria optimè meriti
lacrymas non inveniremus.
Vos aliquando Romani Cives
in magna felicitatis parte posuistis,

si ni

si in sepulchralem Cæsaris Vestri Augusti,
vel unam lacrymam infundere possetis:
& nos Academici
felices nostras & fortunatas esse lacrymas existimabimus,
si iis emeritissimi Patris Patriæ cineres & sepulchrum irrigemus.
Fleverunt senem Antonium Romani,
& tanquam adolescentem desideraverunt;
flendus Nobis est ADALBERTUS,
cujus obitu qui Professorum non commovetur,
vix homo esse potest.
Utinam vel jam nubes quædam essent oculi!
& in lacrymarum imbres solverentur:
vel fluvii quidam essent pupillæ!
& lacrymarum perennes undas volverent.
Utinam omnes essent arbores cupressi!
sed quibûs ædium nostrarum fores & vestibula obumbraremus.
Cecidit, cecidit illa excelsa arbor,
sub cujus umbra vota Professorum quiescebant.
Hæc est ingentium bonorum indoles:
ut quò possessa dulciùs recreant, hòc amissa crudeliùs torqueant.
Apem dixeris:
quæ ubi mellis indicium posuit, fugit;
& tenaci vulnere labentem sauciat.
Rosam dixeris:
quæ ubi defluxit,
meras spinas suo funeri superstites relinquit.
Solem dixeris:
cujus quò gratior est suo in ostro Aurora,
eò funestior umbra est in occasu.
Nunquam sinè dolore ex animo raditur,
quod profundè amor inaravit.
Nunquam sinè gemitu est perditi commemoratio,
cujus præsentis fuit amata possessio.
Verùm neq; abortîs lacrymîs magnis parentatur Viris:
etenim lugere, plorare & lamentari ex pusillanimitate venit,
juxta sonantiam dicti Canonis in principio.

ideò de dormientibus
neminem decet contristari, *ex mente Conc: Tolet: 3. Can: 21.*
Antiquo quidem sano tamen Tracum more:
qui diem nascentium cum luctibus,
dies è contra morientium cum gaudiis obire consveverant.
Et non immeritò:
non enim est locus tristitiæ,
ubi natalis est vitæ melioris.
Mors quippe in Domino morientium
migratio est ad Cœlestes supernasq; sedes,
quietis æternæ portus, principium beatitudinis,
janua Patriæ & exilii limes.
Si purus animus decidit,
certo certius
ad Divinum quoddam & immortale proficiscitur,
quò cùm pervenerit,
omnino felix & beatus evadit.
Quis est? qui non lætetur?
Viatorem stetisse in portu.
& exactîs exilii sui spatiîs
januam Patriæ introivisse, Sedesq; supernas possedisse.
Ut potè possessione sicut nihil beatius,
ita nihil mortalibus desiderabilius.
Eò tendunt omnium vota, eò feruntur desideria,
eò immortales avolant spiritus,
non aliter securi,
nisì in supernis, velut in nidulo suo conquiescant.
Quis non gratuletur Victori?
post triumphatas carnis & spiritûs luctas,
post deletas peccatorum acies,
post superatos hostium invisibilium in agonia assultus
ad designatam justitiæ coronam venisse,
eòq; pertigisse:
ubi nullæ ampliùs pugnæ, nullæ rerum vicissitudines,
nullæ hostium prostant insidiæ.
Non est igitur ratio.

cur

cur lacrymis prosequamur gloriosum è vivis exitum?
Perillustris olim & Reverendissimi Domini
M. ADALBERTI MICINSKI,
U. J. DOCTORIS & PROFESSORIS,
Eccl: Cathedral: CANONICI, &c.
Ipsius quippe mori vivere est, & regnare cum Christo,
& occidere est oriri in gloria.
Phæbus ille scientificus licèt in occiduas abiisse appareat umbras,
videri tamen tantummodò desiit non lucere.
Fulget in Firmamento, rutilat in Empyræo, coruscat in Cœlo,
idq; splendore illimi & perpetuo:
tantò propiùs ad meridiem gloriæ accedendo,
quantò plus lucis purissimæ fidei
& ignis charitatis secum in Cœlum intulit.
Ploret Germana tristia fata Phàëtontis,
quòd simul ac obiit, interiit:
Magni verò Viri de Republica literaria bene meriti
M. ADALBERTI MICINSKI,
obitus non est deploratione dignus,
cùm Illum Cœlo natum esse credamus,
accessisse ad Consortium Civium supernorum non ambigamus.
Obiit terris, sed vivet æternum in Cœlis.
Immo lucet in Corona æternitatis Gemma Doctorum,
fulget in Ecclesia Sanctorum unio Prælatorum,
regnat in Cœlis Princeps Jure-Consultorum,
triumphat in meta Victor fatorum.
Etenim gloriam æternam securos consequi eos,
qui post Baptismum Pœnitentiam egerunt.
Can: si quis autem. de Pænitent: dist: 7.
Unde si lugebimus Illum,
quia Patrem emeritissimum amisimus;
triumphabit Ille,
quia DEUM virtutum suarum justissimum æstimatorem invenit.
Unum nobis, & quod nulla unquam ex animis nostris oblivio delebit,
moriens reliquit sui desiderium
O utinam?
sed si satìs est desiderare.

DISSERTATIO IV.

U. Merita erga Patriam, Ecclesiam, pia opera, ac virtutes Defunctos comitentur?

Morientium & viventium
ſicut diſpar eſt conditio,
ita diſparem pompam amant.
Hos agmen famulantium, opera illorum ſequuntur illos;
hos comitatur honor, illos rectefactorum gloria:
hos ambit majeſtas, illos virtus;
eò fideliorî obſequiô
quòd euntes ad Olympum nunquam deſerat.
Hæreant licèt ad oſtia Lethes errones & lixæ,
virtus ſola comes eſt defunctorum;
non tardatur tumulîs, non retinetur ſcrobibûs,
non remoratur Lethes diluviîs, non terretur buſtîs.
Virtus Coloſſi imitatur naturam:
qui etiam in puteo Coloſſus eſt.
Unde ſi vetuſtiſſimorum Ægyptiorum mos erat,
Regum vitâ functorum annos, vitam, ac virtutes
priuſquam in ſepulchrum, inferrent, ponderare
ùt ex illo virtutum libramine intelligerent:
qualem Regis ſui Manibus honorem exhibere deberent:
Id hodie mihi faciendum eſt ad ſepulchrum
Perilluſtris olim & Reverendiſſimi Domini,
M. ADALBERTI MICINSKI,
U. Juris DOCTORIS & PROFESSORIS,
CANONICI Cathedralis Cracov;
cujus merita ac virtutes immortales
fatis obrui nequeunt;
ſunt enim ſupra cumulum fatorum:
ac ita radioſum cujuſdam Majeſtatis vultum oſtentant,
ut nul-

ut nullam ullius vitii secum umbram esse patiantur.
Quare non ille extingui potuit:
qui enim erudiunt ad justitiam,
fulgebunt sicut Stellæ in perpetuas æternitates.
Non obiit, neq; obire potuit;
immortalis erat animus Ejus,
vehit eum super æthera virtus.
Non excidit:
neq; enim qui gloriæ fastigium occupat,
ullâ invidiâ hominum aut oblivione temporum potest deturbari.
Vir erat de virtute in virtutem crescens,
gloss: effecti: in extravag: dierum, Joan: 22.
virtus Ejus quasi quibûsdam gradibûs augebatur
gloss: proficiat. in Extravag: quorumdam. Jonn: 22.
Facio igitur, quòd gravis illa & virilis fæmina
Cornelia Gracchorum Mater:
quæ ut dolorem suum
ex fatali filiorum suorum interitu leniret,
virtutes, quibûs illi inter Cives eminuerant, commemorabat.
Commemoro & ego,
si non omnes, at aliquam tanti Patris nostri virtutem egregiam
cujus memoria sensibus nostris atq, animis impressi
magni sit medicina doloris.
Per Justitiam erat bonus, pius, fortis:
neminem læsit aut oppressit,
reddidit unicuiq; quod suum est,
nempe: quod *Dei DEO, quod Cæsaris Cæsari,*
à veritate eum nihil expugnare potuit;
& quia justus erat,
dignus compendium virtutum vocari:
Cum verò inter virtutes
præclarum & incomparabile lumen est prudentia:
per hanc scivit eligere inter bonum & malum,
cognoscere inter se & alios,

 discer.

discernere inter vera & falsa,
resolvere inter tuta & periculosa,
cavere inter insidias & fortunas.
Qui si incidisset in tempora Jani oculati & Argi centoculi,
esset bifronte Jano circumspectior,
Argô centoculô oculatior,
ita se suaq; omnia circumspexit,
velut omnia temporum ac ætatum discrimina prævidisset.
Taceo fortitudinem animi ejus:
etenim laboribûs Academicîs infractus erat,
qui robustissimus Atlas
indefesso laborum humerô
Polum Academicum sustentabat,
acsi Vesevum Enceladus, Pelium Gigas,
Axem Syderum Hercules.
Prætereo Ejus liberalitatem,
Titum dixisses: si primus in illa tempora venisset.
Qui cùm viveret
omni genere virtutum erat florentissimus,
DEO Optimo Maximo charissimus.
Universitati affectuosissimus, omnibus acceptissimus,
Vir in DEUM pietate,
in Academiam amore, in omnes benevolentiâ
nemini secundus,
in adversis rebus infractô, in prosperis cautô animô erat:
consiliô potens, judiciô gravis, exemplô magnus,
Cujus
amici candorem, inimici clementiam,
hospites frugalitatem, tenues liberalitatem,
omnes simul fortunam & virtutem admirati sunt.
Hinc non dubitandum
Eundem virtutem extendisse factîs.
Etenim
dum stupente omnium animo in uno Viro ADALBERTO,
tam innumeræ virtutes concordi harmonia optimè subjectarentur,
ad bene-

ad benefacta convertit manum,
& dum de beneficiis Ejus
Ecclesia in Luborzyca & Koniusza certarent,
hæc ruinam sui proximam,
illa gravem sui conservationem opponeret futuram;
Perillustris olim & Reverendissimus Dominus,
RECTOR illarum Ecclesiarũ Vigilantissimus
Honoris Domûs DEI studiosissimus,
pulcherrimè hanc geminam contentionem diremit:
dum & illi prodesse, & illi subvenire constituit.
Quare Ecclesiam Luborzycensem
majori ex parte in tectis, structuris & fundamentis refecit,
domum residentialem, aliaq; ædificia extruxit;
Ecclesiam in Koniusza
de fundamentis erexit, Altaribûs adornavit.
Augustô augustior,
qui Ecclesiam in Koniusza lateritiam deprehendit,
& marmoream fere reliquit,
concoloremq; sibi Sponsam ornatissimam reddidit.
Verè animus Ejus
ipse sibi immortalitatis Architectus,
dum Altaria Sanctorum,
non aurata simul sed ex asse fundata
altiores gloriæ Illius erigunt colles.
Verior ædificii gloriæ suæ Amphion?
non Thebas solùm
verùm omnium corda in triumphum traxit.
Etsi Ecclesia Koniuszensis & Luborzycensis
centum ora totidemq; linguas haberet,
adhuc vocaliùs Stentorea voce
ùt promulgat, ita promulgare non cessabit
bona fortunæ Illius, fuisse bona publica,
ad Ecclesiarum coustructionem, ad subventionem egenis,
ad domús DEI decorem & ornatum.

Quid memorem?
quantus Ejus labor & cura Divina,
certè Atlanticus:
Narrat curam Ejus indefessam & sinè intermissione
Monasterium Monialium S. CLARÆ
ad Ædes S. ANDREÆ Crac:
quarum annis 15. Pœnitentiarius infatigatus erat.
Ecclesia Collegiata Sanctorum Omnium Cracoviæ,
cujus Custos multos annos fuerat;
ipsam Ecclesiam apparatu pretioso ornavit,
fundum Custodiæ
ædificiis sumptuosis decoravit.
Parum dixi, majora restant;
ob merita sua in Ecclesia & Universitate
virtutis & Sapientiæ suffragiô
CANONICUS Cathedralis Cracoviensis factus;
àlias corona virtutum ac meritorum Ejus
à Trino Vavelli Diademate,
pretium majus & æstimationem habere debuit.
Nempe Magnorum Virorum merita
Solis imitantur naturam,
qui spectatorem sui & laudatorem
Orbem universum habet.
Adeò optandum erat,
ut non tantum annos multos,
sed multa sæcula vivendo mortalitatis legem exsuperaret
atq; ita diutissimè radiosum virtutum ac meritorum jubar
nobis omnibus impertiretur,
nisi Illum fata nobis invidissent.
Et licèt per mortem abreptus est,
sed virtus, merita in Ecclesiam & Uuiversitatem
fecit Eum immotalem.
excessit è vita qui nunquam mori debuisset,
sed vivet semper in cordibus omnium,
& nomen, virtus ac merita Ejus
current semper per Magnorum ora Virorum.

DISSERTATIO V.

U. Eruditi labores & Legum tam Canonicarum quàm Civilium Professio inter merita Defunctorum sint computandi?

Herculem olim non extulisse laudibûs,
inhumanitatis apud Græcos erat argumentum:
nemo enim sinè ejus effigie triumphabat.
Ecquis invidus erit?
qui immortalia trophæa non ferat;
quis ingratus?
qui eruditos labores non extollat
Perillustris olim & Reverendissimi Domini,
M. ADALBERTI MICINSKI,
U. J. Doctoris & Professoris, Canonici Cathedr: &c.
Si Theseus quovis inchoato sermone
in Herculis laudes erumpebat,
& ejus labores prompta gestientis animi prædicatione extollebat.
Si Themistocles memori semper cogitatione
Miltiadis trophæa complectebatur,
ac eorũ recordatione nocturnã sibi quietẽ excutiebat.
Cur Nos Academici
triumphalem immortalis gloriæ famam
Perillustris olim & Reverendissimi Domini,
M. ADALBERTI MICINSKI,
laudum præconiô non offeremus?
qui sub Ejus lauro & palma
toties gloriosum otium tenebamus.
Debet illi gratitudo nostra laudem,
præconium eruditi labores deposcunt.

Nec invidia timenda est,
quam sua virtute vicit;
nec adulationis suspicio reformidanda,
postquam esse inter vivos desiit.
Invidiam ipse magnô animô contemnebat,
adulationem nunquam admittebat.
Ergo flumina eloquentiæ nostræ
copiosîs ac perpetuîs periodîs effundamus,
ut saltim parte ex aliqua
immensum laborum illius pelagus adimpleri queat.
Illas facundiæ nostræ arculas excutiamus,
& quidquid est elegantiarum, quidquid aureorum verborum
quidquid ornatûs Tulliani depromamus,
laboriosum quondã in statione Academica Professorẽ
nemo unquam dignè laudavit,
parem Universitas vix habet,
meliorem posteritas non agnoscet;
qui virtute profecit, ut nihil fortunæ deberet.
Grata rerum ab eo summa cum laude gestarum recordatione
immortalem Ejus gloriam celebremus.
Vir erat ad laborem natus,
non minus eruditione ac Sapientiâ instructus,
quàm vitæ integritate spectandus.
In sapientiæ lucem intentus
multas noctes animorum illuminavit:
super ejus sæculi sapientes eruditio;
supra fortunam virtus,
latere volentem extraxerunt in lucem.
Quidquid inter arcana recondidit Philosophia,
penetravit acutissimè;
quidquid in sublime levavit divinior sapientia,
est assecutus subtilissimè;
quidquid vel in foro proposuit, vel in Tribunalibus ostendit,
vel

vel in consiliis ordinavit Jurisprudentia,
id universum laboriosô ingenii judiciiq; pretiô
sibi comparavit felicissimè.

Quid mirum?

animi Illius in rebus aptè ponderandis
cortinam aut Tripodem,
Principes aliquando Viros, Sacrorum Antistites
oracula postulâsse.

Quid mirum?

dotes animi & eruditos labores ejus
plurimum æstimâsse.
Quanta fecit, sudavit & alsit,
pagina hæc non capiet;
etenim & animó Magnus erat,
& omnes ejus recensere labores
sæculorum opus.
Directorem egit Coloniæ Academicæ in Kęty,
verùm ibi animus ejus ad magnos natus labores
occultari nequivit,
quin redux Coronam Illustrissimæ Juventutis
splendore eruditionis suæ illustraret
laboriosissimus in Classibus Novodworscianis
PROFESSOR.
Facultatis Philosophicæ Decanus factus,
difficultatum Symplegades non abhorruit;
sudore laborum velut gemmîs
Decanalem ornavit Purpuram,
tabulam illam, quæ Professorum labores continet appretiavit.
Laboribûs suîs compendium fecit alienis,
tot fere voluminum Author,
quot annorum Professor;
in statione verò Academica
Professor erat laboriosissimus Annorum quadraginta circiter.

Felix

Felix ingeniô, felicior calamô,
utroq; ſtyló ſolutô & ligatô clarus.
Utile magìs eſſe ſtuduit quàm videri
Occultus latere cùm vellet ſemper,
diu non potuit,
ſinè virtutis ac ſapientiæ injuria
Hæ cùm lux eſſent, publicum amabant;
quare in Directorem
Academiæ Poſnanienſis aſſumitur,
ubi trienniô Lubranſcianam excolens Pinum,
alios in Scipiones, alios in Clavas efformavit,
monſtravitq; rarô exemplô & labore,
ex omni ligno poſſe fieri Mercurium.
Quos pro Bono Communi in illa Academia
ſuſcepit labores
loquantur illi, qui virgam directionis ejus ſenſere,
quomodo Profeſſorum Æſtimator
Juventutis Amator erat,
ut ſibi omnium corda in triumphum duceret.
Legum Divinarum & Humanarum
taceo Illius peritiam,
hæc enim indigitari nequit,
luce meridiana clarior.
Cùm plurium annorum eſſet Profeſſor
Proceſſûs, Juris Canonici & Civilis ac aliarũ Rubricarũ
Lauream Doctoralem in Jure Utroq; obtinuit,
nunquam tamen à labore quievit;
veluti palma, ſemper ſub onere laborum creſcebat.
Teſtis eſt labor ille
circa Syntagma Juris Regni ſuſceptus.
Teſtes Partes litigantium
quas ſæpe ſæpius quà Judex Delegatus
quà

quà Asseſſor
Judiciorum Conſiſtorii Generális Cracovienſis
ad pacem & unionem animorum compoſuit.
Protractus tandem ad Academica Sceptra
neſcio, an Ipſe à dignitate acceperit,
an dignitati contulerit dignitatem?
Scio tamen
quomodo in Purpura RECTORALI ſudavit,
ut rebelles animos compeſceret,
motosq́, componeret fluctus.
Hinc cùm facilè
ſibi omnium emiſſet æſtimationem,
diſplicuit tamen filiis tenebrarum
Filius lucis,
Quidquid Ejus immorrale fuit
Cœlum rapuit.
Adeo avara eſt bonorum æternitas,
ut quidquid maturitatem attigerit decerpat.

DISSERTATIO VI.

U. Circa ſepulturas mortuorum æquum ſit Magnorum Virorum merita, ac omnia benefacta ſctipturîs æternitati, ac poſthumæ memoriæ commendare?

Generoſæ illæ & immortales animæ,
quæ meritîs & virtutibûs ſuîs
tanquam quibuſdnm gradibûs Cœlum evolârunt
quorum in vita cæterorum ſalus & tranquillitas fuit,
nullum verius gratæ voluntatis officium à vivis exigere poſſunt:
quàm ut immortalia eorum merita memorî animo complectantur,
G & virtu-

& virtutes sempiternæ bonevolentiæ signîs extollant.
Et ùt Regibus Mausolæa, Principibus tumuli,
sic Magnis Viris
si non celte Dædali, aut scalprô Phydiæ extructa
saltim calamó gratitudinis exarata
debentur monumenta.
Hoc munus
in Alma Universitate nostra
emeritissimus ætate sua à nobis reposcit
Perillustris olim & Reverendissimus Dominus
M. ADALBERTUS MICINSKI,
U. J. DOCTOR & PROFESSOR,
CANONICUS Cathedralis Crac:
ut immemores meritorum Eius non simus.
Hoc officium immortali Eius virtuti debemus,
ut pro tot acceptis ab Eo beneficiis,
pro tot susceptis laboribus ejus
gratissimos nos exhibeamus.
Jaceat corpus ejus è terra sumptum in terra,
claudatur pretioso marmore, pictis laminîs & epitaphiîs;
animo verò ejus & virtuti
nullum nisi immortale sepulchrum debetur.
Hoc illi non in marmore, non in ære, auro vel argento,
sed in vivis ac spirantibus pectoribus nostris,
Nos Academici
qui virtutîs Ejus radios conspeximus,
perpetua grati animi testificatione excidemus;
ut cujus memoriam Orbis Academicus & omnes complectuntur,
cujus gloriosita merita Cœli spatiîs terminantur,
Illius viva animi dignîtas
æterna recordatione celebretur.
Nec dubitandum Nobis,
quin reciprocô animô recordetur omnium
Perillustris olim & Reverendissimus Dominus
M. AD-

M. ADALBERTUS MICINSKI,
U. J. DOCTOR & PROFESSOR CANONICUS Cathedr: Crac:
Et imprimis Tui
Celsissime Princeps
ILLUSTRISSIME & REVERENDISSIME DOMINE,
D. ANDREA,
STANISLAE KOSTKA
In ZAŁUSKIE
ZAŁUSKI,
Episcope Cracoviensis, Dux Severiæ, Universitatis Nostræ Cancellarie Faventissime,
quod Cujus vivens
singularem sub Pastorali benedictione experiebatur gratiam,
mortuus ab Omnipotenti precabitur DEO,
quatenus Cœlestium charismatum rore
Gentilitii Junoszæ Vellus
perfundatur quàm copiosissimè,
& quàm citissimè in plurimos annos
de Tyrio Murice Ejus rubeat Lana.
Memor erit & Vestrî,
Illustrissimi, Perillustres & Reverendissimi Domini, Domini,
totumq; Peraugustū Capitulū
Ecclesiæ Cathedralis Cracoviensis,
etenim in quorum cordibus & affectibus regnabat vivens,
& cui mortuo gratiosum exibuistis obsequium,
mortuus impetrabit
Trinæ Coronæ Vestræ
Gemmam benedictionis Divinæ pretiosissimam,
ut hac ditata evehat capita Vestra ad Infulas

& primos in Ecclesia ac Republica Polona honores.

Nec Tui obliviscetur

PERILLUSTRIS & REVERENDISSIME DOMINE, D.

MATHIA *à Łubna* **ŁUBINSKI,**

Utriusq; Juris DOCTOR, Ecclesiarum; Cathedralis Cracoviensis ARCHIDIACONE, Collegiatæ S. MICHAELIS in Arce Crac: P R Æ P O S I T E, &c.

Tu Oculus Episcopi *c. ad hæc de Offic: Archid:*

Ille Tui erat Pupilla,
quem in locum sui Examinatorem Cleri Diœcesani delegasti.
Et licèt in æterna clausit lumina noctem,
supplicabit nihilominus præsens Majestati Divinæ,
Ut Hæres Avitæ laudis & Princeps Caput Tuum,
vertice suo Sidera Maximorum honorum tangat.

Dulcissima recordatione meminerit Tui

PERILLUSTRIS & REVERENDISSIME DOMINE D.

NICOLAE *In Lipe* **LIPSKI,**

Utrisq; Juris DOCTOR, CANONICE VICARIE & OFFICICIALIS Generalis Cracoviensis, PRÆPOSITE Kielcensis, &c.
& quem Assessorem Judiciorum Tuorum habebas æquissimum,
Ille ad Tribunal Justitiæ Divinæ
pro longæva incolumitate Tua Patronum aget;
& instabit apud Judicem Justum:
ut Gentilitia Rastra legant semper auream honorum messem.

Nec Tu

Magnifice Perillustris & Admodùm Reverende Domine,

M. STANISLAE MAMCZYNSKI,

U. J. DOCTOR & PROFESSOR, Ecclesiarum, Collegiatarum, S. MICHAELIS in Arce Crac: DECANE, SS. OO. CANCELLARIE, Parochialis in Luborzyca PRÆPOSITE, Studii Generalis Universitatis Crac: Vigilantissime RECTOR
excides de memoria Illius,
qui vivo adhæsisti cordi,
interpellabit pro Te mortuus,
ut Tibi DEUS in hoc Rectorali Regimine
adaugeat vires, adaugeat annos,

ut cumu-

ut cumulatus quàm maximîs honoribûs
vivas in Columen Orbis literarii diutissimè.
Nec supponite & Vos
Perillustres & Admodùm Reverendi Domini,
ultimæ Ejus voluntatis
Mœstissimi Executores
quod mors Eum separaverit à Vobis!
qui vivens erat Vobiscum unum cor & anima,
nec fata ullum inter Vos ac Eum fecêre divortium;
& cui viventi omnia fausta apprecabamini,
nec mortuus desinet
pro Domo Vestra esse apud DEVM
Orator.
Memor erit & omnium nostrum,
qui vivens Paterno nos fovebat in sinu;
etiam Ille in cordibus nostris
vivat post fata
Superstes.

Carmen lugubre
super Fatis Ejusdem

OCcidit ALBERTVS, clauso flent lumina Cœlo,
Et nullum revehat Phœbus ab axe diem;
Perpetuas nox atra vices & sidera currant,
Sydera quæ nullo lumine clara micent.
Tu quoque noctivagos retine Dea Cynthia currus,
Noxque tuo nullum lumen ab ore ferat.
Unus erat nobis virtutis lumine Phœbus,
Heu! nunc extincto lumine Phœbus adest?
Degimus in tenebris, tenebras dolor ipse requirit;
Et plus ille dolet, qui sine teste dolet.
Parce tamen Cœlum, nullo si lumine flemus,
Hos aliquo fletus rore juvare potes.

Fac densæ coeant Cœli per inania nubes,
Et mœstis subitò defluat imber aquis.
Lacryma sit, qua gutta cadit, guttamque cadendo,
Dum ruit imber aquis, altera gutta premit.
Pleadesque, Hyadesque simul, dum tempora poscunt,
Pro pluviis ut nunc, effice, dent lacrymas.
Adsint Heliades, rursum lamenta resument,
Et nostrum flebunt pro Phaëtonte Patrem,
Ipsa gravi Niobe properet mœstissima gressu,
Inveniet lacrymas hic sinè fine suas.
O! si jam pronam versaret Aquarius urnam,
Non dubito lacrymas volveret urna meas.
O! si septeno diffusus flumine Ganges
Curreret, aut vastis huc vagus Indus aquis,
Nondum sufficeret, multum tamen ipse juvaret,
Non capiunt flendo lumina nostra modum.
Omnibus ALBERTUS lacrimis est dignus & idem
Defleri lacrymis non satis ipse potest.
Orphea quem flevit Genitrix, hìc sicca maneret.
Chalcyone, hìc nullis flendo, maderet aquis
Huc cuncti cöeant fontes & flumina cuncta,
Oceanusque undas conferat ipse suas.
Dignus erit tanto fortassis funere fletus,
Etsi pro tanto funere nullus erit.
O utinam! nostro redimatur sangvine DOCTOR,
Sangvinis hìc flueret ultima gutta mei.
Si redimi lacrymis ALBERTI vita valeret,
Solverer in lacrymas Regia tota Schola.
Heu mihi! quid feci? quo læsi crimine Cœlum?
Non potui tali lædere fata PATRE.
Ille mihi nostræ vivebat regula vitæ,
Mensque Ejus sanæ regula mentis erat.
Illius in Sacris Majestas splendida vultu
Inque animo pietas & probitatis amor.
Accessu facilis, mixta gravitate verendus,
Magnificus quondam, munificusque fuit.
Vestrum est o tristes pro nobis flere Camenæ,
Et madidas lacrymis usque rigare genas.
Pergite, seu Cythara seu voce Lyraque gemente
Dicite: jam cecidit Gloria prima Togæ.

Permissu Magnifici Domini RECTORIS.

Regestr Panegiryków Pogrzebowych

A.

1. Acumen Doloris explicatum
2. Ad mentem Patria Caput

C.

1. Clavis Aurea fracta
2. Classica Mortis feralia

D.

1. Dissertationes super rubricas.
2. Dolorum Oneraria navis. producta.
3. Dolor Patria Œternus

E.

1. Encomium ad solennes Exequias

J.

1. In Obitum Serenissimi Principis.
2. Iactura Orbis Literarij transmissa.

K

1. Xsiężyc adumbrowany.

L

1. Legatus renunciatus.

M.

1. Memoria Seculorum intimata
2. Monumentum Doloris dedicatum.
3. Monumentum Consecratum
4. Mowa na pogrzebie
5. Munus Dolorum

P

1. Parasceve Descripta

S

1. Splendor Consecratus

T

1. Tropheum wyrysowane
2. Tropheum Consecratum

39

1 Vivat Æternum impressum
2 Viva Mors seu Morti superstes

